



Baldvini Cabilliavi E Soc. Iesv Magdalena

Cabilliau, Baudouin

Antwerpen, 1625

Elegia VI. Timor diuinus Magdalenam periculis septum eripi rogat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70461](#)

Dilue, monstrificasque feras erade seuerum
 Ad speculum: castis flumina funde genis.
 Scilicet est aliquid puro sibi querere fletu
 Balnea, dum Stygio vita stat hausta luto.
 Forsitan extinguet calidis mors Magdalin vndis;
 Sed fœdam, ut niueis viua resurgat aquis.
 Tunc demum poteris puris innectere labris
 Oscula, ut innectas vincula casta Deo.
 Sic alium ex alio mens induet altera vultum;
 Et tibi te reddet, qui benè perdit, Amor.
 Hæc inter docili crystallo consule vultum,
 Et dic: Par fragili forma stat ista vitro.
 Nil mihi cum speculo, speculiique fugace figurâ:
 Mox speculum è lacrymis stabo perenne meis.

E L E G I A V I.

Timor dininus MAGDALENAM per-
culis septam eripi rogat.

MAGDALA myrtigenâ vultum dum fingit
 in vmbra,
 Prætexit speculo retia cœcus Amor.
 En tacitæ serpunt captiuo in corde catenæ,
 Quas serit infidâ Cypris amica manu.
 Nectitur, & nescit, sidens in compede leti
 Magdalæ, anguineis pectora capta dolis.
 Nunc erat infestis ferus hostis ut occupet armis
 Magdalin, aut blandis induat ille plagis.
 Iamq; hiat in morsum rabido tigris aspera rictu,
 Et falcem allidit mors violenta suam:
 Ac vastam labes dirumpit hiulca Charybdim:
 Oscitat ad Stygias ianua panda domos:

Le:

Letæusque latex imo prorumpit Auerno,
 Quein nigra Cerbereis spuma venenat aquis:
 Quaque ruit ripâ Phlegethontide liuidus amnis,
 Alluit, & lambit flamma proterua pedes:
 Sollicitumque latus tacito fax ambedit igni:
 Illa tamen mediis hæret inusta rogis.
 Vincla manu, fert vincla comis, fert vincula collo
 Magdala, & ipsa merum iam sibi rete iacet:
 Prædaque iciunis occurrit idonea monstris,
 Irritatque truces in sua damna feras.
 Ah! perit ah! sœuis obnoxia Nympha periclis,
 Mille petita dolis, mille voranda lupis.
 Ergon' in horrendos nunc Magdalæ ibit hiatus
 Monstriparæ lernæ, flammiuomosque specus?
 Tun' sinis hæc, ô vna Salus, Mensq; arbitra rerū,
 Aurea qui torques astra potente manu?
 Ergo triumphato spolium tam nobile Cælo,
 Detrahet in Stygias victor Auernus aquas?

ELEGIA VII.

*MAGDALENA fulmine tacta ad Siloën
sacrum fontem configit.*

Has vbi sollicito Timor occinit ore querelas,
 Et supplex auidas voluit ad astra preces:
 Ilicet ab læuâ dextrum Deus annuit omen;
 Intonat ardentes ad sua bella minas.
 Densa coit nubes, crebris micat ignibus æther,
 Horrificumque Polus mugit in excidium.
 Sylua tremit, tremit æstra, solum tremit, adtre-
 mit Orcus,
 Cypris, & in trepidâ Cypride Diua tremit.
Ecce